

AD AUSCULTANDAM ORATIONEM
SOLENNEM,

MEMORIÆ

Nobilissimæ Sanctissimæque Matronæ

CHRISTINÆ
ELISABETHÆ,

Natæ

CARPZOVIAE,

THEOLOGI SUMMI,

DN. MARTINI GEIERI

VIDUÆ,

DRESDÆ Die VII. Sept. hujus anni

BEATA MORTE DEFUNCTÆ,

CONSECRATAM

QVÆ DIE CRASTINO POST PERACTA SA-
CRA MATUTINA IN AUDITORIO PHILOSOPHICO

RECITABITUR,

MAGNIFICUM ACADEMIÆ

RECTOREM, UTRIUSQVE REIPUBLICÆ

PROCERES, ET FLORENTISSIMAM STU-

DIOSAM JUVENTUTEM DECENTER

INVITAT

FACULTATIS PHILOSOPHICÆ

DECANUS.





Nondum animis nostris excidit, nec excidet unquam, consummatis-
simi, dum viveret, Theologi Dn. MARTINI GEIERI, Hebraeæ pri-
mum Linguae, post S. Theologiae in Academia nostra Professoris, ad
D. Thomae Pastoris ac Dioeceseos Lipsiensis Superintendentis, Con-
sistorii Electoralis & Ducalis Saxonici, quod Lipsiæ foret, As-
sessoris, Canonici Cizensis, gloriosissimæ denique recordationis
Principi JOHANNI GEORGIO II. Electori Saxoniae, à Consi-
liis Ecclesiasticis, Concionibus sacris & Confessionibus, memo-
ris. Quotusquisque enim eorum, quibus publice, seu ex Aca-

demica, seu ex Ecclesiastica cathedra docentem audire, aut Lipsiensi primum Dioecesi postea-
que Saxonici Ecclesis universis summa cum prudentia & dexteritate moderantis actiones propius
intueri licuit, qui non Divinas dotes, quas in hoc Caeli Depositum Deus Optimus Maximus largi-
gillime effuderat, hodieque cum veneratione admiretur? Nec apud Exteros famam summi Viri
tot egregia, profundissimamque Oraculorum Divinorum intelligentiam, eruditionem omnibus ab-
solutam numeris, gravissimumque iudicium nusquam non spirantia opera, quae Orbi Literato
relicta ab eo sunt, omniumque solidioris doctrinae Theologicae cupidiorum manibus merito te-
runtur, vnaquam intermori patientur. Ast cur nunc speciatim Viri beatissimi, non sine acerbissimi
ex obitu ejus olim concepti doloris renovatione recordemur, ejus rei causa est, quod tristes ad
nos nuntius, de Vidua summi Theologi, postquam dilectissimo Marito per viginti & tres annos
fuisse superstes, vivis per placidam analysin erepta, nuper admodum pervenit. Fuit
illa, ut de stirpe illius honestissima, vitaeque cursu laudabiliter confecto, pauca festinante calamo
atingamus, CHRISTINA ELISABETHA, Lipsiæ Anno 1641. die 20. Octobris in hanc
lucem edita. Pater illius *Johannes Benedictus Carpiovius* fuit, S. Theologie in hac Academia.
Doctör & Professor Publicus, Consistorii Ecclesiastici Assessor, Capituli Cizensis Canonici, & aedis
nostrae Thomae Archi Diaconus, de universa Ecclesia scriptis etiam eruditissimis praeclare meri-
tus: Mater, *Elisabetha*, nata *Wriepennickia*. Avus paternus fuit *Benedictus Carpiovius*, Ictus, Po-
tentissimo Saxoniae Electori à Consiliis Appellationum, Viduaeque Electoralis Cancellarius cui in-
usitata ea acadmiranda felicitas obrigit, ut præter Johannem Benedictum nostrum, quatuor filios
alios reliquerit, Ictos omnes & amplissimis muneribus defunctos, *Covradum* Reverendissimi Se-
renissimiq; Principis AUGUSTI, Saxoniae Ducis & Postulati Administratoris Archi-Episcopatus Mag-
deburgici Consiliarium Intimum ac Cancellarium; *Benedictum*, Consiliarium Electoralem Saxo-
nicum Intimum & ab Appellationibus, nec non Scabinatus Lipsiensis Seniorem, tot vastis doctissi-
misque voluminibus, quibus Jus Saxonicum in primis, processumque utriusque fori, Ecclesiastici &
Civilis illustravit, immortale nomen adeptum; *Christianum*, Juris in Francofurtensi ad Viadrum,
Academia Professorum celeberrimum, & *Augustum* Saxo-Altenburgensem & Coburgensem Con-
siliarium Intimum, Cancellarium & Consistorii Ecclesiastici Præsidentem: Avia vero paterna fuit
Christina, nata *Seelhschia*. Proavus paternus linea paternae Nostrae fuit *Simonem Carpio-
vium*, Consulem Brandenburgi in Marchia: Proaviam, *Annam*, natam *Lindholzenam*. Proavus ma-
ternus paternae lineae *Samuel Seelhsch*, Consul & Bibliopola Wittenbergensis, editis lingua Ger-
manica sacris Bibliis & B. Lutheri scriptis celeberrimus, Lucae Cranachii, Consulis iridem Witte-
bergensis & Pictoris excellentissimi, Nobiliumque ordini à Carolo V. Imperatore adscripti, ex filia
nepos; Proavia, *Margarita* nata *Rubinschia*. Avus maternus ipsi fuit *David Wriepennickius*, Mercator
Lipsiensis & primarius: Avia *Catharina*, nata *Schmidia*. Proavus paternum lineae maternae *Ada-
mum Wriepennickium*, Antverpiae in Brabantia nobili genere natum, sed inde religionis causa, metu
persecutionis Hispanicae, Francof. ad Mœnum digressum: Proaviam, *Elisabetham Moreau*, Mercator
co in Flandria oriundam. Proavus maternus lineae maternae *Alexander Schmidius*, Mercator
Goslariensis sacraeque ibidem aedis curator: Proavia, *Elisabetha*, Reinhardi Cramerii Mercatoris
Hattingensis in Westphalia filia. Tam splendida honorataque, seu paternum, seu maternum ge-
nus spectes, prosapia oriundae Nostrae, ad consecandas Majorum pro capacitate sexus sui virtu-
tes

tes, calcas insuper Parentes optimi addidere, qui exquisita dilectissima filiae educatione id effecerunt, ut jam à tenera aetate pietatem, honestatis cultum, reique domesticae curam comprobari omnibus, maxime vero *Martino Geiero*, Concionatori eo tempore ad D. Thomæ vespertino, & sacrae linguae in Academia Professore publico, qui per familiarissimam cum Patre Virginis, in utraque cathedra collega suo conjunctissimo, consuetudinem, non poterat non virtutes eas habere exploratissimas. Ex quo factum, ut cum hic, post prioris Conjugis *Margaretæ Schurerianæ* praematurum obitum, ad secunda vota aspiraret, non aliam sibi, quam Christianam *Elisabetham* nostram, omnibus sexum suum decentibus ornamentis decoratam, etsi vix sedecim annos natam, Virginem, ambiendam duxerit, impetratoque facile Parentum consensu, anno 1657. fausto sibi connubio junxerit. Fausto inquam, imo faustissimo, sive animorum inter conjuges consensu, sive fecunditatem spectes; quæ duo sunt, ex quibus matrimoniorum felicitas altissimi vulgo consuevit. Utique exemplum in signe præbuerunt conjugum, mutuo eoque tenerissimo, nec ulla unquam levisissima altercatione labefactato amore colligatorum, idem semper volentium, idem nolentium: ut mirandum plane non sit, cum anno 1664. ab Electore Saxoniae *JOHANNÉ GEORGIO II.* ad Confessarii sui, supremi quæ Concionatoris Aulici & Consilarii Ecclesiastici gravissimum munus, Divinis auspiciis *Dresdam* vocatus esset *Geierus*, Nostram tam prompte secutum Maritum in urbem nunquam à se vitam, Matre dulcissima (nam Pater jam Anno 1657. ad superos emigraverat) Fratribusque dilectissimis desertis. Fecunditatis vero luculentis testibus sunt liberi ex benedicto hoc conjugio genti, Filii duo, totidemque Filiae. Et è Filiis quidem alter *Johannes Benedictus A.* 1659. natus, eodem anno infans decellit: alter *Johannes Christianus A.* 1665. eo ipso tempore, cum nuper *Dresdam* Pater discessisset, Lipsiæ in lucem editus, amplissimam de se spem apud omnes concitaverat, ætatis anno decimo nono Philosophiæ & Bonarum Artium Magister in hac Academia solenni ritu renunciatus, sacraeque Theologiæ postea studium in hac nostra, tum in *Gieslensi* ac *Argentoratensi* Academiis, adeo strenue prosecutus, ut Ecclesiæ fulgidum aliquando sidus minaretur; sed spes tantas immatura, aut beata morte, quæ die 24. Februarii anno ab orbe redempto 1687. ætatis ipsius vigesimo secundo illi obtigit, irritas præter omnium expectationem reddidit. Filiarum vero utraque per Dei gratiam superstes, ac in florentissimo statu constituta est. Earum natu major, *Catharina Elisabetha*, Viro Illustri ac Magnifico, *Dn. Johanni Georgio Börnero*. Icto celeberrimo, Augustissimi Poloniarum Regis Saxoniacque Electoris Serenissimi in Judicio Aulico, & supremo Consistorio Ecclesiastico, Consilario gravissimo, *A.* 1678. nupta, quatuor eum liberorum parentem fecit; è quibus filia *Christina Elisabetha*, filiusque *Henricus Carolus* in tenera infantia decesserunt, filii vero, *Johannes Georgius* & *Christianus Fridericus* superstant; quorum ille, Juris utriusque Candidatus, Reipublicæ se honoribusque paternis preparat: hic Magistri Philosophiæ jam dignitate ornatus, elegantioribus literis ac Theologiæ se consecravit, studisque tanta industria incumbit, ut in eo *Bornerum* * aliquando redivivum Academiæ nostræ polliceamur. Filiarum altera, *Johanna Christina*, Viro Illustri itidem ac Magnifico, *Dn. Jo. Agidio Alemanno*. Hereditario in *Schmiedeberg*, Icto celebratissimo, Augustissimo Poloniarum Regi Saxoniacque Electori a Consiliis Aulicis ac Metallicis, nupta, quatuor itidem liberorum mater facta est, filii unius *Johannis Friderici*, triumque filiarum, *Christinae Sophiæ*, *Johannæ Elisabethæ* & *Catharinæ Dorotheæ*: è quibus tamen non nisi filia unica superstes est, *Johanna Elisabetha*, virgo virtutibus ac ornamentis sexum suum decentibus longe commendatissima, Parentum optimorum unicum delictum. Tam fortunatum tamen conjugium, quale Nostræ Divino beneficio obtigit, perpetuum esse non potuit: ut sunt humana omnia caduca ac mutabilibus obnoxia. Nam cum Anno 1680. *Dresda* peste, quæ tum passim per has ditiones grassabatur, infecta, *Freibergam* una cum Electore gloriosissimæ memoriæ *JOHANNÉ GEORGIO II.* Domino suo clementissimo, *Geierus* ve recepisset, visum ita Divino fuit Numini, ut in eadem urbe, eodem anno, vitæ finem uterque inveniret. Cum enim die vigesimo secundo Augusti, Princeps optimus ex hac miseriarum valle ad caelestem patriam, inter *Nathanis* hujus sui preces & efficacissima solamina, translatus esset, mox eum insecutus est *Noster*, die 12. Sept. quæ erat *Dominica XIV.* post festum *Trinitatis*, inter sanctas meditationes, quibus ad sermonem sacrum ea die ad populum habendum se preparabat, subitanea hemiplexia correptus, ac post paucarum horarum spatium, mentis usu ad extremum usque halitum servato, placida beataque morte defunctus. Inopinatus vero iste tristissimusque casus in quantum dolorem *Viduum* summi *Viri* conjece- rit, cogitari rectius, quam verbis exprimi potest; tam etsi non desent, quæ mitigare eum utinque poterant. Amiserat utique Matrona metitissima dimidium animæ suæ; sed supererat *Filix* suavissimæ, quæ filiali amore, obsequio, cultu ac reverentia demereri Matrem pietissimam nunquam deseruit: supererat *Generi* excellentissimi, Ecclesiæ & Reipublicæ nostræ columinæ, quorum gravissimis consiliis in re quavis obvia frui poterat: supererant *Frater* dilectissimi, quorum conditio

* Ad *Casparem Börnerum* respicimus, S. Theologiæ, dum viveret, Doctorem & Professore celeberrimum, cujus immorralia in Academiam nostram merita peculiari Oratione Panegyrica, Catalogo codicum manuscriptorum Bibliothecæ Paulinæ præmissa, beatus *Fellerus* noster ex merito celebravit.

FK 26 2890

X 3420965

florentissima & dignitas, in qua constituti erant singuli, non poterat non ei esse solatio, Dn. *Job. Benedictus Carpozovius*, SS. Theologiae in hac Academia Doctor & Professor publicus, Confessorii Ecclesiastici Assessor, Canonicus Misnenensis, ad D. Thomam Pastor, aliusq; muneribus amplissimis defunctus, nunc & *avios*, Dn. *Augustus Benedictus Carpozovius*, iCtus & Antecessor in hac Academia celeberrimus, Confessorii Ecclesiastici supremi Dicasterii Provincialis, ac Facultatis Juridicae Assessor gravissimus; Dn. *Friedricus Benedictus Carpozovius*, Polyhistor Clarissimus & Republicae patriae Senator ac Aedilis Prudentissimus, amor, dum viveret, nostrar dulced; decus, coelestium nunc gaudiorum particeps, &, qui primo loco nominandus erat, Dn. *Samuel Benedictus Carpozovius*, supremus hoc tempore ditionum nostrarum Praeful ac Ecclesiae Palladium, B. Geieri in administrandis dextre prudenterque ac cordate summis, quibus & is functus olim in Aula fuerat, muneribus amulus felicissimus, cuius velut praesentis, cum ceteri Lipsiae degerent, quotidiana consuetudine eaque longe jucundissima uls fuit Nostra, & in aegritudinibus, quarum plane expertus nunquam est viduitas, sapissime recreata. De virtutibus, quibus Nostra praeter aliis sui sexus eminuit, dicere superfedemus, tum quod eas dignis eloquiis profectus prolixum nimis foret, tum quod lateant neminem, qui velando de ea unquam audiverit. De beneficentia vero erga egenos silere honeste non possumus, cuius tam illustre documentum in hac ipsa Academia edidit. Nimirum cum intellexisset, consilium fuisse Filio dilectissimo, Johanni Christiano, e lethali morbo decumbenti, partem hereditatis paternae alendis in convictorio Academiae nostrae publico duodecim studiosis juvenibus in re non laeta constitutis consecrare, etsi istud institutum effectu destitutum fuit, seu quod praeventus morte esset, seu quod mutaret sententiam, Mater optima avidissime occasionem arripuit, simul & suum erga pauperes & bonarum artium studia affectum testandi & tum Mariti, tum Filii memoriae monumentum aliquod saxo perennius erigendi. Instruxit itaq; non sine magno sumptu, Generis honoratissimis, qua sunt generositate, minime invitis, duodecim alumnis meniam, quam ditiores alii imitentur, praclare merita. Quantum ad extrema sanctissimae Matronae nostrae, postquam per cachexiam aliaque symptomata, nullis Medicorum remediis superanda, prostratis viribus, mortem sibi subeundam intellexisset, ad eam intrepide se comparavit, ac Christiana patientia, poenitentia de peccatis, fide in Christum Servatorem munita, tandem die septimo Septembris, media nocte, placide obdormivit. Sit memoria ejus in benedictione! Nostrum est erga beatissime defunctam cultum & amorem, erga superstites Illustres Generos, Fratresque, & universam Geiero-Carpozovianam Familiam, *συνταξεναι* observantiamque testari publice, cumque ex alumnis Geierianis Vir juvenis doctissimus, *CHRISTIANUS FERDINANDUS JACOBI*, Vratislaviensis, & suo & consularum nominum gratitudinem testaturus, oratione panegyrica beatissimae Matronae die crastino (quo ipso defunctae corpus Dresdae Freibergam, ut juxta beatissimi Mariti exuvias tumuletur, devehendum accepimus) post peracta sacra matutina parentare constituerit, isti solemnitati praesentiam commodare. Quod ut faciant, Magnificum Academiae Rectorem, & utriusq; Republicae Proceres decenter rogamus. Nam Studiosos Juvenes, erga quos affectum suum Matrona sanctissima abunde comprobavit, ultro frequentes adfuturos, nulli dubitamus. P. P. Dominica XV. post Festum Trinitatis, A. MDCCIII

LITERIS RIEDELIANIS.



AD AUSCULTANDAM ORATIONEM
SOLENNEM,

MEMORIAE

Nobilissimæ Sanctissimæque Matronæ

CHRISTINÆ
ELISABETHÆ,

Natæ

FRANCISCAE
PHILOSOPHI SUMMI,

FRANCISCI

MARTINI GEIERI

VIDUÆ,

Obiit Die VII. Sept. hujus anni

POST
MORTE DEFUNCTÆ,
CONSECRATAM

FRANCISCO POST PERACTA SA-
CRIFICIA IN AUDITORIO PHILOSOPHICO
RECITABITUR,

SACRIFICIUM ACADEMIÆ

URBIS, UTRIVSQUE REIPUBLICÆ

FRANCISCI, ET FLORENTISSIMAM STU-
DII

AD JUVENTUTEM DECENTER

INVITAT

FRANCISCI ACADEMIÆ PHILOSOPHICÆ

FRANCISCI
DECANUS.

